

**www.e-rara.ch**

**R.P. Didaci de Baeza Ponferradiensis, Societatis Iesv Theologi,  
Commentariorvm Allegoricorvm & Moraliu de Christo figurato in veteri  
Testamento Tomi I & II [-tomus septimus]**

**Baeza, Diego de**

**Lvgdvni, M. DC. XLIV.-M. DC. LIII**

**Zentralbibliothek Zürich**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-133529>

Caput VII. [= VIII.]. David in spelunca Odollam.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



bus, & cognatis à Saule afflictis prospicere: ait enim Text. Fugit in speluncam Odollam. Quod cum audissent fratres eius, & omnis domus patris eius, descenderunt ad eum. Audierunt, credo, non ex alio, quàm ex ipso Davide, qui, teste Iosepho, eos commonefecit de suo adventu, & speluncæ asylo, in tantum eis consulens, ut etiam Regem Moabitam adiret dicens: *Maneat oro, pater meus, & mater mea vobiscum, donec sciam, quid facias mihi Deus.* Nil prius bonus curabat, quàm ut posset suos asserere in tuto. Sanè in hoc maxime inclinatur diuinus spiritus, ut tuis præ aliis prospicias. Luc. 14. dicitur: *Cum intraret Iesus in domum cuiusdam Principis Pharisæorum Sabbatho manducare panem; & ipsi obseruabant eum. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Et respondens Iesus dixit ad legis peritos, & Pharisæos dicens: Si licet Sabbatho curare? At illi tacuerunt. Ipse vero apprehensum sanauit eum.* Et mirabar, quòd Iesus non magis ad Sabbathum attenderet, de eiusque sanctitate aliqua diceret, informans saltem circumstantes, ut non frangebatur Sabbathi religio in curando homine. Cur non differt tantisper hominis salutem, dum hæc de Sabbathi religione differit? Nõne sibi diem Sabbathi sacramentum habebat. Equidem habebat sacramentum suum diem Sabbathi: sed ut magis suos ostenderet homines; sic prius illorum attendit incolumitatem, & salutem. Aiebat Sedulius lib. 4. Paschal. cap. 13. *Vidit hominem falso crassitudinis tumore distentum, cuius aqua redundante perspicuus vter putabatur esse, non vterus; pragnansque eue necem parturibat inclusam. Ita macies ubique dominata totum hydropem in aluum surgidam congregarat. Non tulit mundi Pater hanc speciem se presente consistere, suaque Sabbatho, qua sunt aderant, non curauit, hominem festinans curare, quem suum magis esse desiderabat.* Itaque, cum duo coràm proposita essent, & Sabbathi religio, & hominis salus; Iesus altero prætermisso, ad illud citius festinauit, quod magis suum sciebat; nimirum, ad hominem eripiendum hydropi. Ut scias, quàm veniat de Dei spiritu, ut in primis habeas tuorum salutem. Sic Luc. 1. dum Zacharias Præcursores Christi oriturum diffidit; ait illi Angelus Domini: *Ecce eris tacens, & non poteris loqui usque in diem, quo hæc fiunt, pro eo, quòd non credidisti, &c.* Vox eripitur Zachariæ, & fit mutus: sed hæc infirmitas tollenda dicitur die ipso natiuitatis Ioannis. Et cur incredulitatis pœna ita differtur vsque ad Ioannis ortum, ut minimè ampliùs durare permittatur? Crediderim, id factum esse, ut Ioannes munus benefaciendi à suis inciperet. Ait Chrysolog. serm. 80. *Egreditur Pontifex gestans in ore sterilitatis indicium, ut cum mater pareret filium, daret filium vocem, & tunc verbi pater ederet sacramentum, & daret ante natus patri veniam, quam dilueret crimina vetusta populorum.* Sic amat Deus, ut quis à suis salutaria incipiat. Quo trahenda dicta tom. 3. de Christo figurat. lib. 7. cap. 4. §. 17. & tom. 1. in Euangel. lib. 1. cap. 8. §. 6. & lib. 4. cap. 5. §. 19. & tom. 3. lib. 15. cap. 3. §. 2. & cap. 9. §. 17. & tom. 4. lib. 16. cap. 20. §. 3. & alibi.

§. II.

*Miles non à diuite, & pulchro ornatu; sed à ferri duritie.*

Vide cantatissimi ducis qui fiant milites: nimirum ait Textus: *Et venerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi aere alieno, & amaro animo, &c.* E depauperatis, & afflictis hominibus victricia Davidis agmina constituuntur. Sed de iis agitur 1. Paralip. 12. his verbis: *Transfugerunt ad Davidem, cum lateret in deserto, viri robustissimi, & pugnatores optimi, tenentes clypeum, & hastam: facies eorum, quasi facies leonis.* Componere modò hæc, cum illis: vtròbique enim agitur de eisdem, ut multis probat Abulens. In præsentem dicuntur Davidis socij angustiiati, depauperati, aere alieno oppressi; in Paralip. dicuntur viri robustissimi, & pugnatores optimi, tenentes hastam, & quasi leones. Quomodo in tanta paupertate tanta valentia? Equidem valentia militis, non à diuite ornatu; sed à nudo ferro defumitur. Ex quo sapienter extollebat Maiorianum Augustum Sidon. Apollin. in eius Paneg. inquit: *In bella mariti*

*Dum venit à Phario dotalis turba Canopo,  
Cum patrio Cleopatra ferox circumdata sistro,  
Milite vel piceo, fuluas onerata carinas  
Dorida diffuso premeret Prolemaide Gaza.*

*Hoc tu non cultu pugnas; sed more priorum  
Dite magis ferro.*

Quippe, qui victor, qui Augustus dicendus erat, non in militum coloribus, non in ornatu diuite, sed more priorum in ferro nudo ductabat acres victrices. Quis enim in milite triumphaturo, muliebres curas in crinium flagellis torquendis, deducendis, in ornatu vestium, & splendore requirat? Audio 2. Reg. 14. de Absalone: *Porrò, sicut Absalom vir non erat pulcher in omni Israël, & decorus nimis: à vestigio pedis usque ad verticem capitis non erat in eo vna macula. Et quando tondebat capillum, (semel autem in anno tondebat, quia graua bat eum casarius,) ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis, &c.* Sed de tam splendenti iuvene, & tanto crinium cultore, dum medius ingenti exercitu pugnat, ait cap. 18. *Accidit Ibid. 18, autem, ut occurreret Absalom seruis David, sedens mulo; cumque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum, & magnam, adhaesit caput eius quercui, &c.* Et mirabar, quòd in tanta exercitus clade, in qua innumeri Israëlitarum perièrunt; vnus Absalom dicatur ab exercitu declinasse, & ad condensam quercum confugisse, vbi solus periret. Sed quid aliud in cincinnato, & culto milite videndum citius erat, quàm fuga? Plane D. Synes. epistol. 104. post descriptum Ioannem quendam comptulum adolefcentem, ante bellum multa iactantem, & vel in odore belli fugientem, ait: *Plurimum spe falsi fuimus, quam in cincinnato isto habuimus. Tunc nihil comavilius, turpiusve videbatur, quam ut quisque habebat, ita primus nos maxime proditurus existimabatur. Crede mihi: nihil aliud de nimis cultis comptisque militibus potest sperari.*

§. III.

*Paupertas voluntaria validissima, ut animi  
hostes proterat.*

Erantigitur, qui ad Davidem conuenerant, omnes, qui in angustia constituti, & oppressi aere alieno, & amaro animo. de quibus locutus 1. Paralip. 12. ut §. præcedenti vidimus, ait, quòd erant *viri robustissimi, & pugnatores optimi, tenentes clypeum, & hastam: facies eorum, quasi facies leonis.* Et qualiter esse poterat in viris depauperatis, & afflictis leoninum robur, & adedè pugnaces animi? An paupertas robori, & virtuti potest inesse? Equidem, si de paupertate voluntaria ageretur, facile crediderim, in illa esse ingens robur aduersus contrarias animorum acies. Vtinam animo pauperes, & veri contemptores auri, in arenam profiliremus; fallar, nisi hostes humani generis mactaremus. Repetam, quæ Maioriano Augusto dixit Sidon. Apoll. in eius Panegy. aicens:

*In bella mariti  
Dum venit à Phario dotalis turba Canopo,  
Cum patrio Cleopatra ferox circumdata sistro,  
Milite vel piceo, fuluas operata carinas  
Dorida diffuso premeret Prolemaide Gaza:  
Hoc tu non cultu pugnas; sed more priorum,  
Dite magis ferro, meriti cui subiacet aurum  
Dimittis ignavi.*

Non imperabat aurum Maioriano; sed potiùs illi subiacebat conculcandum: hinc ille non in pictis plumis non in discoloribus vestibus, non in gemmis, & smaragdibus; sed in nudo ferro pugnat, & vincebat, priores illos pugnatores æmulatus. Veniebat sceminea Cleopatrarum phalanx multis picta coloribus, multum spirans aurum; & miserè cadebat. Veniebat Maiorianus contemptor auri, antiquæ paupertatis æmulator; & de hostibus triumphabat. Proh Deus immortalis, quàm hæc apta religiosis viris! Fuerunt Christianorum duces Apostoli, qui sub vexillo Christi, in frigore, & nuditate, afflicti, angustiiati, auri contemptores bellum indixerunt Diabolo, & de Diabolo mixticè triumpharunt. Post hos multi alij in idem descenderunt certamen; sed in splendenti ornatu, compti, calamistrati, in pulchris calceis, in pretiosis vestibus, & miserè cadunt. Non sic prudentes viri; sed more priorum, dite magis ferro: quippe ferruginei, pauperes animo, contemptores, imò calcatores auri, & multos de hostibus norunt triumphos reportare. Et quidem Dominus ascensurus Crucem, nudus ascendit: ait enim Ioan. 19. *Milites ergo, cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius, &c.* Et cur Dominus illud elegit supplicium, quo nudus, occumberet? Nõne posset & vestitus in mortem cadere, ut & multi alij, qui à tortoribus trucidantur?

Synes.

2. Paral. 12.

Sid. Apol.

Ioann.

**Athanas.** cidantur? Ait D. Athanas. orat. de Pass. *Se aduersus mortem, ablatis vestibus, expedit: & persecutus est fugientem columbrum.* Qui aduersus truculentum generis humani hostem in morte pugnabat, merito confugit ad extremam nuditatem. Quid enim fortius nuditate & paupertate ad hostes exsufflandos? Habes Iob ditissimum, multis plenum opibus; cum quo tandem confixit Diabolus, filios eius occidit, substantiam perdidit, vsque dum ille diceret cap. 1. *Nudus egressus sum de utero matris meae, & nudus reuertar illuc.* Et quid in illa nuditate? Ait D. Chrysof. homil. 2. ad popul. *Iob igitur ante hoc, cum fortis esset, postquam omnia amisit, tunc factus est fortior, & clarum contra Diabolum victoriam reportauit.* Fortissimum est telum voluntaria paupertas aduersus Diabolum. Quod in Elia sub paupere melote militante aduersus validissimos Reges, notabat Chrysof. vbi supra fatus: *Quid Elia pauperius? Sed propterea omnes diuites vincebat: quoniam pauper hic erat: ipsam vero paupertatem ex mentis opulencia elegit.* O paupertas electa ex animo, quantum vales aduersus vniuersas Potestates!

§. IV.

*Apud mundiales non merita praevalent; sed casus, vel fauor.*

**I**llud stupeo, quod dicantur in praesenti venisse ad Davidem omnes, qui in angustia constituti, oppressi aere alieno, & amaro animo, de quibus dicitur 1. Paralip. 12. quod erant viri robustissimi, & pugnatore optimi, tenentes clypeum, & hastam: facies eorum, quasi facies leonum. Et ij tales bellatores, leoninum robur praeferebant, in regno Saülis erant, in angustia constituti, aere alieno oppressi, & amaro animo? Non miror: nihil enim frequentius in mundo cernitur, in Curiis Regum, in Principum aulis, in vniuersis munerum distributionibus mundialibus. Rem suis temporibus frequentem deplorat Nazian. orat. 20. fatus: *Ille quidem inferiori se de acquiescit, humilique stat, qui sublimem promeretur, atque & multum, & multo, disque carni leges sanxit: hic contra superbem, & arroganter praesidet, superciliumque aduersus meliores attollit, nec thronis intremiscit, nec ex aspectu horrorem concipit, hominem contententia studiosum infra se videns: verum, simul cum imperio sapienter se existimat, &c.* Erat hoc malum tunc frequens, quod sapientes, & validi humi repererent insipientes, & infirmi thronos tenerent. Et quando hoc non in mundo frequens? Aiebat Ecclesiast. 10. *Est malum, quod vidi sub Sole, quasi per errorem egrediens a facie Principis: positum stultum in dignitate sublimi, & diuites sedere deorsum. Vidi seruos in equis, & Principes ambulantes super terram, quasi seruos.* Hic est error communissimus in mundo: quod stulti, & inertes homines teneant loca sublimia; & quod natura serui ad ingenuorum dignitates ascendant; permulti autem praestantissimi viri repant humi. Cuius rei saporem habent illa verba Sidon. Apoll. lib. 7. epist. 6. *Quin potius, si requiras, ordinis res est, ut diues hic purpura, bissoque veletur; & Lazarus hic ulceribus, & paupertate feriat. Ordinis res est, ut dum in hac allegorica versatur Aegyptus, Pharaon incedat cum diademate, Israelita cum cophino.* Sic ordinantur, & disponuntur res mundiales, ut non semper praeualeant merita; quod solum est proprium regni caelestis: mundialis autem regni est, ad merita conuenire; adeo ut virtute praestantes, & egestate premantur, & miseris sinepti verò sint in splendore, & gloria. Aliquando optimi regni dispositio ostensa fuit Nabuchodonosor Dan. 4. in arbore procera, & alta, plena fructibus, & foliis: & additur: *Subter eam habitabant animalia, & bestiae; & in ramis eius conuersabantur volucres cali.* Quid commendabilius in arbore illa, in regno illo? Nulla volucris non in sublimi residet; nulla bestia non humi cubat. Sed quam aliter in mundo? Ait Galfrid. ad locum Eccles. 10. *Proh nefas! hodie sues volant in caelum, & in caeno aquila volutantur.* In somnio, & nocte id semel accidit Regi, quod omnes volucres alta tenerent, & ima bestiae: quod autem in luce apparet, contrarium est; quippe sordidissimi sues alta caelorum tenent, & perperes aquilae haerent caeno.

1. Paralip. 12. Venerunt autem & de Benjamin, & de Iuda, ad praesidium: in quo mo-

rabatur David. Egressusque est David obuiam eis, & ait: Si pacifice venistis ad me, ut auxiliemini mihi, cor meum iungatur vobis: si autem insidiimini mihi pro aduersariis meis, cum ego iniquitatem in manibus non habeam; videat Deus patrum nostrorum, & iudicet. Spiritus vero Domini induit Amasai, Principem inter triginta, & ait: Tui sumus, o David, &c.

§. V.

*Non parua praestantia est viri, qui valeat sibi noxias familiaritates pellere. Vbi pulchra de vitando congressu faminarum.*

**A**duentem nequam sociorum manum non domat expectat David; sed ei obuiam procedit, nihil sibi noxium admissurus: quippe ait Text. *Egressusque est David obuiam eis, & ait: Si pacifice venistis ad me, ut auxiliemini mihi, cor meum iungatur vobis: si autem insidiimini mihi: videat Deus patrum nostrorum, & iudicet.* In tanto vitae discrimine, & in tanta paucitate sociorum, mirum est, quod David se suspiciosum ostendat aduentibus, nec in domum admittat, sed obuiam procedat, & examinet eorum mentes. Et cur maluit David amicè conuenientibus se suspiciosum de eorum fide ostendere? Nonne paulò antè recepit quadringentos viros ex Gad sine hac exploratione? Cur in iis haesitat, & obuiam illis procedit, nec eos expectauit domi manens? Ait Caiet. *Dubitabat David, & militari libertate vitatur in primo sermone cum eis.* Ut eos Beniaminitas agnouit, de Tribu Saülis Regis, sic eos habuit suspectos, & militari libertate vsus illos extra domum conuenit, & audenter suspicionem suam proponit, depulsurus, si noxios inueniat. Quod inter magnas Davidis virtutes annumerare velim: non enim popularis, sed praestantis hominis est, obuiam ire suspectis, & noxias familiaritates arcere. De bono illo Iacob dicitur Gen. 32. *Traducis que omniibus, quae ad se pertinebant, mansit solus.* Et ecce vir luctabat cum eo vsque mane. *Qui, cum videret, quod eum superare non posset; tetigit neruum femoris eius, & statim emarcuit.* Dixitque ad eum: *Dimitte me: iam enim ascendit aurora.* Respondit: *Non dimittam te.* Simplex vir solus erat, & aduentis ad se viri, & ob tenebras noctis, suspecti, non depellit congressum; imò post luctam longam, & vulnus femoris adhuc nititur illum inter brachia tenere. Aliter Centurio ille Matth. 8. dicebat, nimirum: *Homo sum sub potestate constitutus, & dico haic: Vade, & vadit: & alij: Veni, & venit, &c.* Quae verba miratus Iesus ait: *Non inueni tantam fidem in Israël.* In quo Israël? Patat Nicæus, non locutum Dominum de populo Israël; sed de persona Iacob, qui in lucta illa vocatus fuit à Deo Israël; cui Iacob praepositur Centurio in praesenti. Sed, in quo maior ostenditur Centurionis virtus, & praestantia, apud Saluatorem, quam Iacobi virtus? Expende libertatem militarem, & prudentiam in Centurione, nimirum: *Dico haic: Vade, & vadit: & alij: Veni, & venit.* Non quemlibet apud se retinet: sed suspectis obuiat, illòsque liberrimè amandat, fidos allicit, & retinet. Non sic Iacob, qui veniente, nocturnis tenebris, suspecto viro, non obuiavit; sed eius expectauit congressum, & luctam; imò & vulnus expertus adhuc retinet. Ait D. Nicæus. hom. 10 in Cant. *Iesus miratus vocem Centurionis praenitit fidei Israël: non enim mihi videtur conferre Centurionem cum populo Israël: sed cum ipso Israël, qui in lucta cum aduersario, cum Dei auxilio vix euasit, ne caederet; nec abiit penitus illaesus ab aduersario: laesus enim fuit in femore. Hic autem Centurio regia potestate amandat id, quod est alienum: asciscit autem, & ad suam admittit familiaritatem id, quod est sibi gratum.* Praeferenda quidem est virtus, & praestantia illius, qui regiè, & liberè se gerit in amandandis malis; qui obuiam it suspectis, & noxios potestati depellit, solos notissimè bonitatis viros admittens in familiaritatem: licet enim Iacob sis, de congressu mali claudicabis; aut caedes, si, ut Iacob, non occurris aduenti aduersario; nec habes vim, aut libertatem, qua te expeditas à nocuo familiarit. Dicitur Iosue c. 5. *Cum esset Iosue in agro vrbis Iericho, 10f. 50*

Gregor. Naz.

Ecc. 10.

Sid. Apol.

Dan. 4.

Galfrid.

Caiet.

Gen. 32.

Matth. 8.

Greg. Nic.

Idem.

10f. 50

leuauit oculos, & vidit virum stantem contra se euaginatam tenentem ens gladius, perrexitque ad eum, & ait: Noster es, an aduersarius? Vbi è regione vidit armatum virum ad se venire non subsistit, vt Jacob, expectans congressum eius; sed, vt Dauid, obuiam ei procedit, militari libertate explorans hominem: repulsurus noxium, nec admisurus ad conuictum familiarem. Dixi, expulsurus hominem noxium: quia infirmitas humana nunquam debet fidere illi, quem semel ad salutem animæ noxium experta est, licet à noxiis quiescere videatur; sed illum prorsus à se debet amandare. Rem pulchrè ostendo ex Matth.

Matth. 8.

8. cum enim nauicula Discipulorum ingenti periclitaretur tempestate, excitatus Dominus, Imperauit ventis, & facta est tranquillitas magna. Imperauit, inquam, ventis. Et quid imperauit? An, vt abirent, & prorsus recederent? Minimè id dicitur imperasse, sed solum vt tranquillitatis manerent, quod innuunt verba illa: Et facta est tranquillitas magna. At Dei Spõsa simili forsitan tempestate iactata, noxium Aquilonem ventum ex parte cœpit clamare Cant. 4. Surge, Aquilo: & veni, Auster, &c. Equidem non iubet, vt Aquilo tranquillitatis fiat; sed vt furgat, & abeat. Iesus solum iubet, vt noxij venti tranquillitatis fiant; Sponsa magis iubet, vt abeat. Et cur illa, nec cum tranquillitatis gaudet; sed magis instat, vt reddant? Illa infirma est: & hoc debet esse proprium infirmitatis humanæ, quod semel suspectæ familiaritatis congressum minimè admittat; sed prorsus à se amandat. Ait D. Gregorius Nicænus hom. 10. in Cant.

Cap. 4.

Greg. Nic.

Audiamus, quemadmodum Regina surgere faciat Aquilonem, & à se amandat, eius statum auertens in aduersum. Non enim eum iubet quiescere, quomodo in mari tempestate iussit Dominus fluctibus quiescere, & silentium agere; sed impetat, vt recedat, & fugiat, vt absque ullo impedimento flet Auster, nullo aduerso statu obstituto eius impetui, dicens: Surge, Aquilo. Iesus mandat ventos esse tranquillos, & cum tranquillitatis ventis nouit habitare: Sponsa autem, quæ infirma est, & conscia suæ infirmitatis, magis mandat, vt vel tranquillitatis ventis abeat. Quos semel noxios experta est, in nulla bonitatis specie amat cum illis conuersari. Huc spectent, qui noxias familiaritates experti, adhuc sub specie virtutis, & obligationis, & aliorum respectuum bonorum illis adiuuunt. Planè hoc securè facit, qui Iesus est, qui diuinam virtutem in se habet; vt, qui infirmus est, temerarius erit, nisi prorsus eas à se amandat. Quod spectans D. Paul. 1. ad Corinth. 14. de mulieribus locutus ait: Si quid voluerint discere, domi viros suos interrogent. Quæ verba meditatus D. August. tract. 15. in cap. 4. Ioan. ait: Ibi dicitur: Domi viros suos interrogent. Vbi non est Iesus, qui doceat. Quando enim non semel congressus virorum alienorū, & sceminarum noxius inuentus est, etiam si sanctissimus sit, & multas species virtutis habeat; prorsus euitadus est illi, qui Iesus non est; nimirum, qui diuinam virtutem non habet.

1. Corint. 14.

August.

§. VI.

Iudicij diuini conspectus maximè homines continet.

Vide, quid Dauid opponat suspectis militibus: Si autem insidiamini mihi pro aduersariis meis: videat Deus patrum nostrorum, & iudicet. Qui posset illis opponere quadringentos alios socios validissimos, quos secum habebat, maluit illis opponere diuinum iudicium. Et quidem prudentissimè: iudicij enim diuini conspectus maximè valet homines in officio continere. Creato homini in Paradisi deliciis statim Deus illi taxabat escas, cap. 2. Gen. De omni ligno Paradisi comedes, &c. Lignorum fructus dantur homini abstemio in cibis: de carnibus, aut piscibus edendis nec verbum factum est. Crediderim, ne in statu illo felici gula dominaretur. Postquam autem diluuium vniuersi homines, octo solis exceptis, perièrè; statim permissio diuina ait Gen. 9. Omne, quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia. Cur tam largas escas modò hominibus porrigit, qui adèd paucas illis antea porrexerat? Si, quando solas fruges permittebat in cibum, attendebat, ne gula hominis pasta carnibus exorbitaret; cur modò non idem attendit, carnes permittens? Modò præ oculis erat Dei iudicium per diluuium monstratum quod præ oculis positum, potens est homines, ne exorbitent, frænare. Tertul. lib. contra Psychicos: Post diluuium in reformatione de Christo figur. Tom. IV.

Genes. 2.

Genes. 9.

Tertul.

tione generis humani sufficisse vnam interim legem à sanguine abstinendi, permissio vsu carerum. Tam enim iudicium Dominus ostendit per diluuium. Cum ostensione iudicij, non miror, quòd multa permittantur: valet enim iudicium positum ob oculos, præ multis aliis legibus, ad hominem continendum, & frænandum. Quem non trahat in bonum conspectus iudicij: Eliæ commoranti in deserto vt se ostenderet Dominus, ait 3. Reg. 19. Ecce Dominus transiit, & spiritus grandis, & fortis subuertens montes, & conterens petras ante Dominum: non in spiritu Dominus, & post spiritum commotio; non in commotione Dominus, & post commotionem ignis: non in igne Dominus, & post ignem sibilus aura tenuis. Tres Dei anteambulones video in iis verbis proponi, scilicet, spiritum, commotionem, & ignem; & licet omnes validissimam efficacitatem, & virtutem habeant, de nullo dicitur, quòd agant, nisi de spiritu: ait enim: Spiritus grandis, & fortis, subuertens montes, & conterens petras. Non dicitur ignis aliquid operari, nec commotio: solus spiritus, nempe, ventus dicitur, & conterere petras, & subuertere montes. Et cur hoc de solo spiritu dicitur? Rationem attigit Hugo Victor. lib. 1. Miscell. tit. 109. Ecce praeambulos Dei, spiritum, commotionem, & ignem. Non venit Dominus ad te, nisi prius isti veniant. Spiritus est terror iudicij aeterni, qui si in cor peccatoris impegit, & montes superbia deiiciet, & petras duritia dissoluet. Quando spiritus erat iudicij diuini terror, non miror, quòd præ aliis valeat commouere orbem, & impellere homines in frugem meliorem.

3. Reg. 19.

Hug. Vict.

§. VII.

Principes animi sui synceram iustitiam in omnibus palam habeant.

AD Dauidis suspicionem tollendam ait Textus: Spiritus verò Domini induit Amasai, Principem inter triginta, & ait: Tui sumus, o Dauid, &c. Nec oscitanter positum crediderim modum nouum illum loquendi, nimirum: Spiritus verò Domini induit Amasai, Principem, &c. Quid est, quòd dicatur Amasai tunc temporis non imbutus, sed indutus Spiritu Dei? Credo, inuenies in Scriptura, quòd Spiritus Domini irruat, aut veniat in aliquem, aut fiat in Prophetas; cur modò similiter non dicitur venisse in Amasai; sed dicitur induisse illum? Vt Amasai Princeps erat inter triginta; sic interna eius animi synceritas, & iustitia à diuino Spiritu profecta debuit exterius patere, vt patet ornatus vestium, ne cui dubitationi, aut suspicioni locus esset: decet enim maximè Principes, quòd synceram sui animi iustitiam sic habeant in omnibus patentem, vt patentes habent vestes, ne cui liceat dubitare de interna rectitudine mentis. Huc adduco illud Sapient. 5. vbi de omnium creaturarum principe Dei Filio dicit: Induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galea iudicium certum. Quæ verba explicans Carthus. ait: Tam euidenter iustum exercebit iudicium, quòd nullus poterit reclamare, omnesque scient rectissimum illud esse. Vt enim vestes, quibus Princeps ornatur, euidentissimè omnium oculis expositæ sunt; nec vllus est, qui de earum dubitet, seu coloribus, seu pretiis: sic mentis synceritas, & puritas in omnibus Principum, siue factis, siue verbis, debet elucere; nec quid dubium in illis ostendi. Ad hæc Iob cap. 29. Iustitia induit sum, & vestium me, sicut vestimento. Vbi D. Thom. ait: Id est, in omnibus processibus meis iustitia apparuit. Indubitata fit in Principe rectitudo, & synceritas animi: quoquò se verat, eius rectitudo, & candor animi testatur, & conspicuus apparet. Arcana quantum sint Principum consilia; iustitia tamen, & rectitudo eorum, sic clarè pateat, vt nemini liceat contrarium suspicari.

Sap. 5.

Carthus.

Iob 29.

Thom.

§. XIII.

In præstandis honestis obsequiis pertinacissimus sit boni viri animus.

INsidias suspicanti Dauidi, indefectibilis obsequiis securitas fit ex animo Amasai: dicitur enim in Textu: Spiritus verò Domini induit Amasai, Principem inter triginta, & ait: Tui sumus, o Dauid, &c. Siquidem, vt Amasai cum suis ostenderetur, quàm indefectibiliter obsecutus erat Dauidi, dicitur indutus ad hoc spiritu Domini. Sicut enim

I hon. 0

Tob 29.

Sap. 5.

homo sine veste nunquam est: sic in tanto duce semper erit pertinacissimus animus Davidis fouendi. Non abfimile est illud Iobi cap. 29. *Iustitia indutus sum, & vestiui me, sicut vestimento.* Et cur dicitur in Iobo stetit iustitia, & iudicium, sicut vestimentum? Sapient. 5. dicebatur de Dei Filio: *Induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galea iudicium.* Iustitia, & iudicium Filio Dei non dicuntur esse vestes; sed arma; nimirum, & thorax, & galea, & clypeus. Cur ergo, quæ sunt arma Dei Filio, Iobo non arma sunt, sed vestes? In Dei Filio explicabatur rigor, quo Iudex factus impios omnes perdit; qui rigor in Deo, ut non perpetuus est, sic per arma explicatur, quæ non perpetuò homini adhærent; sed solùm tempore confectus, & belliat in Iobo explicabatur affectus iustitiæ, & sanctitatis, quod in iuuandis, fouendisque miseris exercebatur; qui, ut perpetuus debet esse homini bono; sic per vestes explicatur, sine quibus nunquam homo incedit. Ait D. Chrysofost. in Cat. Græca in Iob: *Ut enim quis ad corporis ornatum diploidem adhibet; sic ipse ad mentis cultum iudicij equitatem. Neque id duntaxat hodie; cras autem non item: verum, sicut necessitas cogit vestibus semper uti; sic ipse nunquam calamitosorum iudicium deserui.* Non minùs pertinax erat in calamitosis fouendis quotidie, quàm in sumendis vestibus. Ut enim perseuerantissimè quotidie manus ad vestes accipendas extendimus, nec priùs acceptas dimittimus, quàm illæ senio nos deferant: sic ad honesta obsequia semel applicatus animus constantissimè ad illa conari debet. Ex quo maximè extollebat Liberium Patricium Theodorici Rex apud Cassiodorum 2. var. cap. 16. fatus: *Retinetis, Patres Conscripti, Patricium Liberium, & in nostra aduersitate fuisse laudabilem, qui sic Odouacris integerrimus parebat obsequiis, ut nostra post fuerit electione dignissimus, contra quos multa fecisse constat inimicus. Non enim ad nos vilissima transfuga condicione migravit; nec proprii domini finxit odium, ut alterius sibi procuraret affectum. Expectauit integer diuina iudicia; nec passus est, sibi Regem querere, nisi primitus perdidisset. Vnde sic factum est, ut ei libenter daremus primum: quia nostrum fideliter iuuit inimicum: qui casu patrocinate contrario, tantò nobis reddebatur acceptus, quantum tunc cognosci poterat inuolutus. Floxo iam domino, pendè nullus est terroribus inclinatus: sustinuit immobilem yuinam Principis sui; nec nouitas illum turbare potuit, quem nunc ferocitas gentilis expauit. Prudenter est seuentus communes casus, ut cum diuina iudicia fixè sustinet, humanam gratiam commendatior inueniret. Dixi omnia, ne quid regis laudis deficeret homini constantissimo in præstandis obsequiis illi Principi, cui semel decreuerat deseruire. Ut vel ex hoc discamus omnes, in præstandis obsequiis esse pertinacissimi: constantia enim in bonis nunquam non venit ex animo diuino, ut defectio ex miseria humanæ naturæ.* Exod. cap. 10. post plagam acceptam Pharaon vocauit Moysen, & Aaron, & dixit eis: *Peccaui in Dominum Deum vestrum, &c.* Et post plagam curam ait Text. *Et indurauit Dominus cor Pharaonis, &c.* Quæ quidem verba per octo, aut nouem vices repetita inuenies, ita ut modò mitescere videatur Pharaon, & modò indurari. Ex quo Eusebius in Cat. Græca, colligit, tam momentaneas mutationes in duritiem, aut lenitatem, non posse à Deo causari, cuius est, persistere semper in bono præstando. Quippe ait: *Hinc apparet euidentius, obduruisse Pharaonem ex malo habitu ingenij sui, & reconciliationem simulasse, si enim à Deo animus immutaretur, aut semper durum se præstaret, aut semper mitem. Aded diuina est perseverantia in fouendis honestis, ut in defectione euidenter cognoscatur opus humanum, quando à Deo solùm venit, quod indefectibiliter se habet, quantum est ex Dei parte.*

Chrysof.

Cassiodor.

Exod. 10.

Euseb.

§. IX.

*In quo Deus præualet, non multum timenda est malitia carnis.*

Quod doli, aut mutabilitatis, aut mali alterius timeri solet in hominibus carnalibus, id non timetur in iis, in quibus Deus præualet: idè, ut in aduenientibus focis nulla opera carnis à Dauide timeantur; Spiritus, ait, *Dominus induit Amasai, Principem inter triginta, & ait: Tuisumus, o David.* Et quidem, ubi Spiritus Domini sic in Amasai prominere ostendebatur, ut vestes in nobis prominent; nil in eo timeri poterat, quod opera spectaret car-

nalita. Paul. ad Rom. 13. *Abiciamus ergo opera tenebrarum, Rom. 13. & induamur arma lucis. Sicut in hic honestè ambulemus: non in comessationibus, & ebrietatibus; non in cubilibus, & impudicitia; non in contentione, & amulatione: sed induimini Dominum Iesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis. Expende ab illis: Sed induimini Dominum Iesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis.* Sub Iesu enim veste necessariò debent abscondi, & dissipari opera carnis. Promineat in nobis Spiritus Christi, & carnis malitia non metuitur: Dicebat Psal. 41. *Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam: quoniam transibo in locum tabernaculi.* Alia lita tera habet: *Effudi super me animam meam.* Quod peruestitum significabatur, idem per effusionem, siue super effusionem animæ exprimitur: quòd nimirum, in nobis superemineat spiritus, quo super emiente, abscedit prorsus carnis malitia. Ait D. Ambros. ibi: *Supra se effundis animam suam, ut anima supra corpus effusa infirmitatem carnis abscondat, tegat corpus, & virtus ubique anima, mentisque præluceat.* Vide, ut supereminens spiritus, & nos tegens, malitiam carnis videri non sinat; sed vndique faciat apparere virtutem. Nec obest vilis carnis impetus, ut ratio spiritu diuino Iesu confirmata superemineat. Matth. 8. Iesus imperauit ventis, & mari: & facta est tranquillitas magna. Quòd spectans Arnol. Carnot. tract. ad verba: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? inquit: Nec tamen peremptorius astimandus est recrudescens peccati pruritus, cui obtusam pergit ratio, & serpenti scabiei cantherium opponit: licet enim subsumigent afflata incendia, & flamma voraxiam rectorum elambat fastigia; vna gratia stilla, subitusque respectus clementia vno flatu ea in cineres rediget, sed aqua procalla diuinius, quòd putabatur detrimentum, inuenitur solatium.* Quid pulchrius? Sanè resstantibus licet carnalium desideriorum ventis, si ratio Christi spiritu munita occurrat; in solatium vertitur, quod credebatur detrimentum futurum.

Psal. 41.

Ambros.

Matth. 8.

Arnol. Car.

1. Reg. 22. Dixitque Gad propheta ad David: *Noli manere in præsidio: proficiscere, & vade in terram Iuda.* Et profectus est David, & venit in saltum Haret. Et audiuit Saül, quòd apparuisset David, & viri, qui erant cum eo. Saül autem cum maneret in Gabaa, & esset in nemo-re, quod est in Rama, hastam manu tenens, cunctique serui eius circumstarent eum, ait ad seruos suos, qui assisteabant ei.

§. X.

*Genitale solum auspiciatum homini. Vbi de meditatione terrena originis nostra.*

Ab arce munita in Moab iubetur David exire, & in terram Iuda venire: sic enim per Prophetam ei mandatur: *Noli manere in præsidio: proficiscere, & vade in terram Iuda.* Nec miror: erat enim Tribus Iuda, ex qua David ortum habebat, in eius ditione natus, altus & educatus; & idè in eam sibi non inueniret auspiciatum. Quis neget hoc genitale solo, quòd suis maximè faueat? Sapient. cap. 9. agebat: *Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Et mirabar, quòd carnis grauedo sic animam opprimat; quando anima longè præstantior, & valentior sit, quàm caro. Cur ergo anima non magis carnem opprimat, quàm ipsa opprimatur à carne, quæ infirmior est? Nodum acutè soluit D. Zeno lib. 1. ferm. 12. aiens: *Ille in solo genitale versatur, ille peregrinus est.* Ne mireris, quòd in præsentis spiritus superetur, & deprimatur à carne: licet enim caro infirmior sit, & spiritus valentior; tamen caro in genitale solo versatur, ubi spiritus peregrinus est: ex quo sic conualescit caro, ut valeat spiritui dominari. Nunquam enim quis ex genitale solo vires non capit, quibus vel aduersus fortiores valeat. David 2. Reg. 11. vocato Vriæ de bello dicebat: *Vade in domum tuam, & lava pedes tuos.* Ipse verò reuinit domum suam petere; sed in ianua palatij manebat. Sed, ut inam in domum suam iret: forte

Sap. 9.

Zen 9.

2. Reg. 11.

forte ibi  
P. Damian  
domu h  
gnationi  
proprii  
ra ad Prin  
Iecto que  
non male ha  
lian. in An  
conditio me  
tranes fuit  
in nido me  
Que verba  
si autem: Et  
sum temp  
lo suo obuen  
genitas dierum  
cur mors obuen  
plicatur Quip  
nata solo futu  
hi operat. Qu  
um: am me  
pauit. Eq  
excederet in  
tio dicitur  
non enim, si  
trauifit, non  
fina non p  
nisi in m  
in genitale  
promitte  
iudeo  
Psal. 101. T  
dicit; quia  
pides eius, &  
gust. cui mife  
pulueri. Et  
quippe pulu  
nisi homo re  
Non dicit, sapi  
tus bene placit  
tore: recedente  
runt: puluif  
non irruat  
cas puluis, n  
ut de cineri  
staurari à De

**Damian.** forte ibi acquireret, quo se aduersus mortem tutaretur. Ait P. Damian. lib. de contempt mundi, cap. 28. *Via si propria domus hospitium placuisset, sententiam proculdubio regia indignationis, ac fraudis euaderet: sed, quia in alienis, quam in proprio dormire cubiculo maluit, auctores sua mortis literas ad Principem reportauit. Utinam maluisset Vrias in suo lecto quiescere, & incolumis euasisset. Quis in alienis non malè habeat? Hinc de religione Christiana ait Tertullian. in Apol. Nihil illa in causa sua deprecatur; quia nec de conditione miratur: scit se peregrinam in terra agere; inter extraneos facile inimicos inuenire. Vnde Iob cap. 29. Dicebam: In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies meos. Quæ verba sic Græcè transferuntur in Car. Græc. Dixi autem: *Ætas mea senescet: sicut truncus palma, multum tempus viuam.* In primo de morte agebat, vt in nidulo suo obuentura erat; in secundo non mors, sed longæuitas dierum, prolixæque senectus explicabatur. Et cur mors obuentura in nido per longæuitatem vitæ explicatur? Quippe, dum Iob se in nidulo suo, hoc est, in genitili solo futurum existimabat; nihil inde non vitale sibi sperabat. Quò respiciens Symmachus legebat: *Dixi autem: Cum meo nido se nesciam: gloria autem mea renouabitur præsens mihi.* Equidem, dum è genitili solo non cogatur excedere; sed in eo degat: inde omnia vitalia, omnia gloriosa sibi percipiet. Ad quæ D. Thomas aiebat, *In nidulo meo moriar, id est, sperabam, quòd in quiete domus mea moriturus essem, non exul à domo: nec tamen credebat se intempestina morte præoccupari: vnde subdit, & sicut palma, qua diutissime viuuit, multiplicabo dies.* Vbi enim non exul à domo, sed in genitili loco agat, inde multiplices, & felicissimos sibi promittebat annos. Sed & expendenda: *sicut palma multiplicabo dies meos.* Circa quæ notissima est versio Septuag. aient: *Sicut phœnix multiplicabo dies meos.* Cur sicut phœnix? Ait Philipus Presbyter ibi: *Sicut phœnix nidum sibi faciens; in ipso post multa tempora, à semetipsa dicitur concremari, & rursum de eiusdem nidi cineribus resurgere: ita Iob se dicit per mortem incinere carnis, velut in nido pro tempore futurum, & inde resurrecturum in gloria.* Expède illa: *De eiusdem nidi cineribus, &c.* Vt enim in nido vixit; sic in illo ipso proprio, & conaturali decedens, vel de cineribus eius nouam exfugit vitam, quæ resurgat. Crede mihi, genitale solum nunquam non est homini auspiciatissimum. Vel de cineribus genitilis soli tui poteris confirmari in vitam. Ait Psalm. 101. *Tu exurgens misereberis Sion: quia tempus miserendi eius; quia venit tempus. Quoniam placuerunt seruis tuis lapides eius, & terra eius miserebuntur.* Acute notat D. August. cui misericordia apponatur, non quidem lapidi, sed pulueri. Et cur pulueri misericordia apponitur? Erat quippe puluis solum nostrum genitale, ex quo fallar, nisi homo resurgat in spem vitæ. Ait ibi D. August. *Non dicit, lapidum eius miserebuntur; sed pulueris. Ergo seruis tuis beneplacitum habuerunt in lapides Sion. Sed illi prauaricatorum recedentes à Domino, in terram, vnde sumpti sunt, redierunt: puluis facti sunt, impij facti sunt. Sed expecta Dominum: non irritus ventus, & auferat hunc puluerem à facie terra. Dicit puluis, ne pereat: Memento, quia puluis sumus, &c.* Vide, vt de cineribus soli genitilis sui speret nemo in vitam restaurari à Deo.*

§. XI.

*Gloriosè triumphas de hoste in propria ipsius sede.*

**C**um Dauid dicitur: *Proficiscere, & vade in terram Iuda.* sunt, qui Iuda nomine intelligant vniuersum regnum Israëliticum, cui Rex erat Saül rabidissimus hostis Dauidis: amabat autem Dominus sic extollere Dauidem, & gloriosum facere, vt non solum vinceret Saulem; sed de illo triumpharet in propria sede ipsius. Quam gloriam in Christi Athletis mirabatur Tertull. dum pro Iesu nomine in tenebrosam carcerem venirent: ait enim lib. 1. ad Martyres: *Domus quidem Diaboli est, & carcer, in qua familiam suam continet: sed vos idèd in carcerem peruenistis, vt illum etiam in domo sua conculcatis. Non ergo dicat: In meo regno sunt, tentabo illos. Nec illitam benè fit in regno suo, vt vos committat; sed inueniat munitos, &c.* Parum erat fortibus Christi Athletis, quòd hostem vincerent; idèd in eam gloriam disponebantur, vt illum in suo ipsius regno, *Bæza de Christo figur. Tom. IV.*

sede opprimerent. Similiter & diuinus Iesus debellaturis hostem ascendit Crucem, ad Philipp. 2. *Factus obediens philip. 2. usque ad mortem, mortem autem Crucis.* Et cur præ aliis mortis instrumentis vnã Crucem elegit Dominus? Liberum illi fuit permittere se peti lapidibus, vel à monte præcipitari: cur magis elegit mori in Cruce? In Cruce à terra exalrabatur, & in aère erat; cuius regio videbatur esse sub dominio hostis antiqui, iuxta illud ad Ephes. 2. *Secundum Principem potestatis aëris huius: spiritus, qui nunc operatur in filios dissidentia.* Placuit autem Iesu in aère vitam finire, vt mortis eius gloria in eo ostenderetur, quòd Principem aëris debellabat in eius propria sede, & regno. Pulchrè D. Athanas. aiebat orat. de pass. & Cruce: *Verum Dominus Athanas. hominibus studens humi non est mortuus; sed in aërem ascendit per Crucem, ibi quoque serpentem persequens, vt etiam inde Principem potestatis aëris deturbaret.* Hæc erat gloria Christiani triumphis, vt in ipso aère vinceretur, qui erat aëris Princeps; & vbi malitiæ virus dominabatur, ibi à validissimo Salvatore in ruinam iret & excidium. Nunquam non magnæ, & gloriosæ virtutis in signe est, quòd de hoste triumphes in propria sede illius. Quò spectans Isaias cap. 11. *Isaias 11. Delectabitur infans ab ubere super foramen aspidis; & in cauernam reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet.* Sic de Christianorum valentia loquebatur. Quæ verba expendens D. Hieron aiebat: *Infans quoque, qui malitia Hieron. paruulus est, mittit manum in foramine aspidis; & de obsessi hominum corporibus fugat Demones. Qui autem ablactatus est, & nequaquam lacte nutritur in fantia, sed iam solido vescitur cibo; iste in reguli cauernam mittit manum, hoc est, in ipsius Satana habitaculum, & inde eum extrahit.* Itaque, aut Diabolus est in corpore humano, aut in sede propria sua: si est in humano corpore, vt ibi in alieno est; sic vel ab infante potest inde excludi. Audet equidem infans Christi in Dæmonem non existentem in suo: at qui infantiam superauit, & solido cibo vititur, plus audet: huic enim parum est, si hostem in alieno existentem vincat; sed magis audet, & vel in proprio habitaculo illum aggressus, inde illum exsufflat. Proh Agnetis Virginis virtutem! Hæc vt magna erat, sic in lupanari, in ipso Satana habitaculo, Satanam deuicit.

§. XII.

*Durissimum homini in suis malè haberi.*

**H**æreo tamen in eo, quòd Dauid mittatur in propriam sedem suam illis verbis: *Vade in terram Iuda.* Et crediderim, quòd vt Deus illi ingentem ibi gloriam parabat, vt §. præcedenti vidimus; sic & illi simul proponebat certamen durissimum. Quid durius homini, quàm quòd in suis malè habeat? Adamum post peccatum, conuenit Deus, illique durissimam decernens pœnam, in originis suæ terram hominem relegat: dicit namque Genes. 3. *Emisit eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis, vt operaretur terram, de qua sumptus est. Quod meditatus Claud. Marius Viçt. lib. 2. in Genes. sic illius pœnæ expendit duritiam:*

*Postquam sacratis decedere iussus uterque  
Sedibus, ac regius, genitalia contigit arua,  
Inq; sua stetit exul homo.*

Quid calamitosius, quàm in propriis sedibus exulis incommoda pati? Iob ad suæ calamitatis exacerbationem illud addebat cap. 19. *Inquilini domus mea, & ancilla mea sicut alienum habuerunt me, & quasi peregrinus fui in oculis eorum. Quem non mordeat acrius, quòd in sua sede, & apud suos peregrinum cogatur agere? Potuisset & Diabolus Iobum in terras longissimas eicere, vt inter barbaros, & crudeles homines peregrinus viueret; sed rabidissimus hostis noluit illum à ditione, & patria sua extrahere; quinimò inter suos degentem omnibus peregrini, & exulis repleuit in cõmodis, vt inde acerbis hominis animum percuteret.*

§. XIII.

*Obedientia legi exhibitã verã sanctitatis, & virtutis index.*

**M**iratur meritò noster Saliãus in præsentem promptam Dauidis obedientiam, qui, vt à Gad Propheta iussus

iussus est ire in terram Iuda, minimè id distulit; sed statim se ad professionem accinxit: ait enim Textus: *Et profectus est David, & venit in saltum Hareb.* Sic bonus absque vlla resistantia obediebat legi diuinæ, cuiusque ductu ferebatur, vel in difficillima: non enim certiori aliquo indicio solet Deus profectus suos ostendere in mundo. Duæ erant quondam familiæ deducendæ in urbem Bethlehe-miticam. Altera familia constabat tribus Magis, qui vt venirent Bethlehem, excitati sunt noui syderis luce, cum dicant Matth. 2. *Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus, &c.* Itaque Magis apparuit stella, siue Angelus in stellæ figura, vt volunt plurimi: cuius ductu Bethlehemi viam aggressi sunt. Altera familia erat Iosephi, & Mariæ; quæ, vt Scripturæ impleantur de ortu Saluatoris, debebant etiam Bethlehem venire. Sed qualiter ij sanctissimi coniuges excitati sunt, vt difficilem viam arripere? An stella illis apparuit? An Angelus monuit illos? Accipite D. Lucam cap. 2. *Exiit edictum à Cesare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis: Et ibant omnes, vt describerentur, singuli in ciuitatem suam. Ascendit autem Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth, in ciuitatem David, quæ vocatur Bethlehem, eò quòd esset de domo, & familia David, vt profiteretur cum Maria, &c.* Vnum profani Imperatoris edictum intonuit: & statim Maria, & Ioseph Bethlehem proficiscuntur. Non stellam, non Angelum expectant; sed legem audientes, soli viam arripiunt. Et cur stella, quæ Magos erat ductura, non magis festinavit ad Mariam deducendam? Imò cur Raphaël Angelus, qui Tobix comitem egit in longo itinere, modò non adest Mariæ? Sufficiebat tantæ foeminae lex, sub cuius ductu magis conspicabiles redduntur præstantissimi, quàm sub vniuersis syderum luminibus. Ad hæc D. Chrysof. hom. de Nat. Christi, in 6. tom. inquit: *Vide prudentem Dei administrationem, per infideles, atque fideles, ea, quæ ad se pertinent, dispensantis. Et stella quidem Magos ab Oriente produxit: at lex Mariam in patriam à Prophetis prædictam traxit.* Expende illa: *At lex Mariam, &c.* Tantæ enim Virginis sanctitas non tam ex obsequio Angelorum, seu stellarum sibi præstito, quàm ex obsequio eius legibus exhibito debet pensari. Quòd conueniant, qui ex apparitionibus Angelorum, siue luminum caelestium, trutinant sanctitatem, & sciant, eas, & infidelibus, & nequissimis hominibus solere à Deo præstari; præstantissimæ autem, verissimæque virtutis insigne non tam in iis, quàm in præstita legibus obedientia explicari. Hinc primi illi homines, cum iustitia florere originali, statim præceptum accipiunt, ne edant de scientiæ arbore. Genes. 2. *De ligno scientiæ boni, & mali ne comedas.* Et cur illis hæc arbor vetatur? In eo sola obedientia exercetur, quæ veram virtutem hominis statuit. Ait D. Augustinus 8. Genes. ad litteram: *Oportebat ergo, vt homo sub Deo positus, aliunde prohiberetur, vt ei promerendi Dominum suum virtus esset ipsa obedientia, quam possumus verissimè dicere solam esse virtutem omni creatura rationali agenti sub Dei potestate, &c.* Ponderanda sunt illa: *Solam esse virtutem, quæ ex sola obediètia præstita legi, debeat virtus hominis æstimari.* Quod sic intelligo, vt ipsa sit certissimum signum virtutum aliarum. Et quid non signet obedientia? Paul. ait ad Philip. 2. *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod Deus exaltauit illum, &c.* Circa quæ verba sic fatur D. Cyr. Alex. lib. ad Regin. *Non diu in ea abiectio, & humilitatione permansit: mox enim exaltatum est, nomine, quod est super omne nomen, accepto. Sanè quidem illustre nobis exemplum hæc ponitur: ostenditur enim, obedientiam, & gloriosam, & admiratione dignam, & bonorum omnium conciliatricem esse. Quid pulchrius de obedientia, quæ omnia bona scit nobis conciliare?*

§. XIV.

Qui pro Deo stat, nunquam solus est aduersus hostes.

Vix David ad terram Israël peruenit; & ait Textus: *Audiuit Saül, quòd apparuisset David, & viri, qui cum eo erant.* Solus fugerat David à Saule; & ecce non solus apparet, sed multis iam cinctus sociis, sibi à Deo comparatis: qui enim pro Deo stat, vt Deum pro se habet; sic nunquam solus existit. Constantius ille Imperator, dum sanctos Christi Confessores in exilium mitteret, illud curabat, ne duo simul, sed solus quisque abiret: ne secum emolumen-

tum societatis haberet. Aduersus quem sapienter D. Athanas. epist. ad solitariam vitam agentes dicit: *Ignorat, quòd quauis singuli ab aliis distarent; illos tamen secum habere, quem in communi, cum simul erant, confitebantur Dominum Iesum Christum, qui singulis longè plures associauerit, (vt in Propheta Eliseo fecit;) quàm milites sunt circa Constantium.* Expende illa de Iesu dicta: *Qui singulis longè plures associauerit, vt in Eliseo, &c.* Quippe is est Iesus, qui nesciat seruum suum solum relinquere; sed plures illi adiungit, quibus firmatus minimè aduersariorum exercitus timeat. Quod apertè patuit in historia Elisei 4. Reg. 6. cum enim Syrorum exercitus virum sanctum impereret, clamabat ille: *Plures sunt nobiscum, quàm cum illis: quin, & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Elisei.* Nunquam enim Deus non adiungit suis plures, quàm qui sunt ex parte inimici. Et quando alij deficerent, ipse Deus pro omnibus adstat illi. De Sponsa Dei ait Cant. 4. *Sicut turris David collum tuum, quæ a edificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea.* In Hebr. legit Georg. Venet. Cant. 3. tom. 7. c. 13. *Vnum scutum appendent super ea.* Et mirabar, quòd vbi in originali vnù scutum dicebatur, noster traduxisset, mille clypei. Si vnum solum erat, quare dicuntur mille? Erat scutum Deus, qui dum adest suis, pro millibus, imò pro omnibus armatis sufficit illis. Queribùdus Elias 3. Reg. 19. clamabat ad Dominum: *Derelictus sum ego solus, & querunt animam meam.* Et quæsierim ex Elia, an, quia solus relictus fuit, solus inuentus fuit ab inimicis? Absit: quinimò Deus illi pro omnibus adstitit armatis exercitibus. Ait D. Athan. vbi supr. *Si fratres deserant, notique, & amici procul absint, nemoque supersit, qui velit simul contristari, aut consolationem adhibere; tamen plus quàm omnia sufficit ad tutelam, Dei refugium. Solus erat Elia in persecutione; sed tamen in omnibus loco omnium, habebat Deum.* Proh felix desolatio seruorum Dei! Solus, & desolatus licet videaris, adest tibi pro auxiliariis copiis vniuersus Deus. Sunt tibi præstantissima auxiliatorum castra. Vt meritò dicat David Psal. 36. *Non vidi iustum derelictum.* Cui adstipulatur Iacob Gen. 32. de quo ibi: *Iacob autem abiit itinere, quod ceperat, fueruntque ei obuiam Angeli Dei: quos cum vidisset, ait: Castra Dei sunt.* Suffecisset, si castrum Dei illi appareret: sed maluit Deus, vt apparerent castra: vt ostenderet, quàm sit Deus pro omnibus in suis auxiliandis. Ex quo D. Ambros. in Psal. 36. fatur: *Cum fratrem fugeret Iacob, & per desertam incomitatus erraret, obdormiuit, & surgens vidit ibi multitudinem caelestis militia, & ait: Hic locus vocatur castra Angelorum. Non satis fuit castrum vocare; sed castra, quæ tantæ multitudini conuenirent. Vides ergo, quia solum se putabat; & castra eorum caelestis exercitus sequebantur.* Quid certius in Dei affectis, quàm quòd nunquam appareant incomitati?

1. Reg. 22. Audite me nunc, filij Iemini: nunquid omnibus vobis dabit filius Isai agros, & vineas, & vniuersos vos faciet Tribunos, & Centuriones: quoniam coniurastis omnes aduersum me; & non est, qui mihi renunciet; maximè cum filius meus fœdus inierit cum filio Isai? Non est, qui vicem meam doleat ex vobis, neque qui annunciet mihi; eò quòd suscitauerit filius meus seruum meum aduersum me, &c.

§. XV.

Nunquam non homo in primis sibi, suisque commodis studet.

Sapienter Saül, vt contribules suos in iurata sibi fide confirmet, proponit, quàm nihil debeant sperare à Davide alienæ Tribus viro: quippe ait: *Audite me nunc, filij Iemini: nunquid omnibus vobis dabit filius Isai agros, & vineas, &c.* Filios Iemini vocat, hoc est, Benjaminitas ex eadem cum ipso Saule Tribu: ij enim à Rege ex Tribu Iuda minus sperare sibi debebant; ideòque illum debebant expuere. Quis enim hominum colat Principem, à quo nihil commodi sperare licet. Hinc se D. Athan. purgabat in Apol. ad

Matth. 2.

Luc. 2.

Chrysof.

Genes. 2.

August.

Philip. 2.

Cyr. Al.

Athanas.

4. Reg. 6.

Cant. 4.

3. Reg. 19.

Athanas.

Psal. 36.

Genes. 32.

Ambros.

Athanas.

§. XVI.

Qui principis cupidus obstitit, prodicionis reus habetur apud illum.

Coniurationis, & prodicionis rei vocantur Benjaminæ; & ipse Ionathas, Saülis filius, eiusdem criminis reus habetur à patre suo: dicit nanque: *Coniurasti omnes aduersum me: maximè cum filius meus fœdus inierit cum filio Isai.* Et addit etiam: *Ed quòd suscitauerit filius meus seruum meum aduersum me, &c.* Et vnde Saülis famuli, & subditi, & filius creduntur tanti criminis rei? An, quia arma dederint Dauidi, vt Saülem percuteret? Vel, an quia Dauidem excitabant, vt regnum acciperet, illudque Saüli eriperet? Absit: nec enim Dauid Saülem persequabatur; nec vllus erat, qui illum contra Saül moueret: solus Saül iniuste persequabatur Dauidem, illique mortem intentabat, ardentèque cupiebat hominem è viuis eicere. Cui regio affectui quia non applaudebat Regis filius, nec applaudebant boni viri; quasi perduelles, & proditores habentur à Saüle. Sic quisquis non annuit regiis cupidus, vel obstitit illis, prodicionis reus censetur apud mundiales Principes. Nota est historia Achab cum Naboth, vt Achab desiderauit Nabothi veniam, vt sibi hortum olerum faceret; vt Naboth obstitit regie cupiditati nolens perdere parentum memoriam. Quid tunc? Irata Regina 3. Reg. 21. scribens Præfectis vrbs ait: *Submittite duos filios Be- lial, contra eum, & falsum testimonium dicant: Benedixit Naboth Deo, & Regi. & educite eum, & lapidate, & sic moriatur.* Mirabar, quòd vt Naboth vinea eriperetur, tantum crimen effingeretur in illo, vt reus diceretur læsæ maiestatis, humanæ, & diuinæ. Cur non magis mandatur duci, vt illum tacite percutiat? Cur vel sine sanguine ei violenter non eripitur vinea? Cur necessum fuit ad crimen læsæ maiestatis recurrere, vt hominem potentissima Regina opprimeret? Ait Abulibi quæst. 7. *Non solum volebat Izabeb vineam Naboth, quam desiderabat Achab vir suus; sed etiam voluit sumere vindictam, quòd Naboth ausus fuisset repugnare Regi.* Equidem, vbi res erat cum eo, qui non annuerat Regis cupiditati, sed illi obstitit, quia illam indecoram, & iniustam putabat; non sufficiens putabat Regina, quòd ei vinea per vim auferretur, nisi & læsæ maiestatis, humanæ, & diuinæ reus haberetur, & tanti criminis supplicium subiret. Sic Amos c. 7. *Misit Amasias, Sacerdos Bethel, ad Ieroboam Regem Israël, dicens: Rebellauit contra te Amos, non poterit terra sustinere vniuersos sermones eius.* Erat Amos vir armentarius, pauper, & despicibilis, vt qui aliorum pecora pascebat: vnde ergo tam pauper homuncio habere potuit rebellis in Regem. Ait Carthusibi: *Inobediens erat Amos, idololatriam reprobando, quam Rex iubebat exerceri.* Totus erat Ieroboam in idololatria amplificanda; vt idola à se inuenta colerentur: tam nefarium facinus pius Amos non probabat, imò ostendebat, nihil diuinum in idolis esse. Ea autem sola ratione, quia tam impio Regis facinori obstitit, & perduellis habebatur; & accusabatur maiestatis læsæ.

§. XVII.

Tunc impij funditus Sanctos extirpant, cum religionem Regibus fatalem persuadent.

Nefarius Doëg, vt Saülis iram aduersus Dauidem acuatur, illumque funditus perdat, iuxta Regis placitum,

ad Constantium Imperatorem, quòd ad eius hostem Magnentium non confugisset, inquit: *Qua enim mihi fiducia in Magnentio fuisse, aut quam benevolentiam certam, firmamque in Domini sui parricida, in amico tam perfido, in violandis iuramentis tam religioso, mihi polliceri potuissent?* Accusabatur sanctus Vir, quòd à Magnentij partibus staret contra Constantium: quam accusationem hac vna ratione deludit ostendens, quòd nihil commodi à Magnentio, nefario homine, & domini sui interfessore sperare poterat. Necnon Antipater apud Egesippum lib. 1. cap. 44. vt prodicionis suspicionem depelleret, sic patrem Herodem alloquebatur: *Quid autem erat, quòd me aduersus tuam salutem audere aliquid impelleret? An regni cupido? Sed regnabam. An odi suspicio? Sed diligebam. An iniuria dolor? Sed premebar. An verò inopia pecunie, & egestas coegit, qua solet indigentibus suadere latrocinium? Sed dederas, quòd non solum in presens; sed etiam in omne tempus abundaret, & diuitem miseram Romam, vt Regum Reges pronuntiarent, imperij apud se principatum esse, non diuitiarum.* Sic dum nihil commodi, nihil lucri in prodicione sibi aduenturum esse probat, vel suspicionem eius à se depulit. Nihil enim timendum est, aut sperandum ab homine, in quo non sibi prius aliquod commodum paret, & vtilitatem. Ioan. 9. post curatum cæcum natum, dixit illi Iesus: *Tu credis in Filium Dei? Respondit ille, & dixit: Quis est, Domine, vt credam in eum? Et dixit ei Iesus: Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait: Credo, Domine. Et proci dens adorauit eum. Et dixit ei Iesus: In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant; & qui vident, ceci fiant.* Postquam se Filium Dei dixerat, & se vt Filium Dei adorari fecerat, ostendit causam, cur venerit in mundum Dei Filius: nimirum, vt, qui non vident, videant, &c. Et quid hoc cum Filio Dei? Cur proprium sit Filij Dei venisse, vt alij videant? Equidem tam proprium est filij hominis puri sibi in primis consulere, vt si quis inueniatur, qui non propria, sed aliorum quærat commoda, is manifestè videatur non esse homo purus, sed Filius Dei. Ait D. Athanas. serm. 3. contra Arianos: *Non igitur propter se ipsum, sed propter nostram salutem, & vt cæci visum reciperent, & vt omnes è mortuis excitarentur, aduenit. Si igitur non sui gratia, sed nostri venit, neque in sui ipsius usum conditur, sed ad nostrum; fieri non potest, vt sit creatura.* Equidem Deus est, non est creatura, non purus homo, qui commodum tuum non respicit, nec lucrum. Qui in officiis exhibendis suam vtilitatem non spectat; fallax, nisi superhumano agatur spiritu. Huc adduco clarissimum facinus mulieris Pythomilæ ex 1. Reg. 18. Hæc Saülem recipiens domi, & eius precibus arte sua maleficavens, fecit, vt Rex certior fieret de morte iam sibi propinqua: vt erat interficiendus illo ipso die, & tota eius domus extirpanda funditus. Quem tali nuncio exanimatum, & fame penè enectum conuenit statim mulier, & ait: *Nunc igitur audi tu vocem ancilla tua, & ponam coram te buccellam panis, vt comedens conualescas, &c.* Regem viribus destitutum, & iam iam moriturum, imò & funditus extirpandum conuenit mulier, illique officiosissima adstat, cibos parat, & multo sermone cogit, vt sumat. Dalila illa Samsonis vxor, vt credidit virum suis destitutum viribus, Iudicum cap. 16. *Cæpit abigere eum, & à se repellere.* hæc autem certò sciens, Saülem statim perimendum cum filiis; nihilominus eius prouidet indigentia, etiam cum proprio sumptu. Planè hoc inusitatum, & nouum, in hominum genere: ait enim ibi Iosephus lib. 6. de antiq. cap. 15. *Mirari succurrit hoc loco mulieris comitatem: qua quòd soli mulieri pauperi superfluit, promptè, ac libenti animo apposuit, nec gratiam pro beneficio reposcens, nec officio fauorem Regis captans, quem iam iam moriturum præsciebat: cum tamen homines natura comparati simus, vt tunc demum officiosos esse libeat, quando aut pro meritis gratia est rependenda, aut ipsi demereri, quempiam cupimus, quem cumulatè aliquando beneficium repositurum speramus.* Meritò admirandam ducit Ioseph hanc mulierem, quæ nec officio fauorem Regis captat, quem iam moriturum præsciebat. Nihil magis commune, quàm quòd Principes prorsus deserantur, vbi minimè proficui futuri videantur: solum enim proprium lucrum est, quòd caput corda humana in mundialibus.

Baſca d. Christo figur. Tom. IV.

Egesip.

Ioan. 9.

Athanas.

1. Reg. 18.

Iudic. 16.

Ioseph.

3. Reg. 21.

Abul.

Amos 7.

Carthus.

circum, loquens ait: *Vidi filium Isai in Nobe, apud Achimelech, filium Achioz, Sacerdotem: qui consuluit pro eo Dominum, & cibaria dedit: sed & gladium, &c.* Expende, quid in primis ponat impius ad animum Regis exacerbandum; nimirum, quod Sacerdos consuluerit Dominum pro David; deinde, quod illi dederit gladium. Ut sic sacerdotis oratio ad Deum credatur Sauli fatalis, & valde contraria. Proh Deus immortalis, in quam similem mentem vniuersi impijabeunt, qui vt Sanctos perdant, nihil prius faciunt, quam religionem ipsam persuadere esse Regibus fatalem! Sic vtriusque illi Babylonis Satrapæ, vt perderent Daniele, hominem accusabant apud Regem: *Daniel de filiis captiuitatis Iuda non curauit de lege tua, & de edicto, quod constituisisti: sed tribus temporibus per diem orat obsecratione sua.* Ecce tibi totum crimen Danielis, quod oret ad Deum ter in die: quasi oratio pij hominis non posset non esse fatalis Regi. Sic Ariani homines accusabant Athanasium apud Constantium, quod Christianos oraturos in templum conuocasset. Pro quo D. Athanas. in Apol. ad Constantium, ait: *Persuasit sibi homo vecors, & inficius, sub te vim, barbariamque Babyloniam vigere, nihil sentiens, quam esses amicus Danielis, cum quo idem Numen colis; nec te interdiceret orationes, sed quam maxime omnes orare velle: quippe, qui compertum habeas, omnium vota, precisque id expetere à Deo, vt falsus sis, & perpetuo in pace regnes.* Quibus & Imperatoris pietatem, & Arrianorum malitiam optimè ostendit. Imperator enim, vt pius, & sanctorum Religiosorum amicus nihil mali à religione suspicabatur: quotquot orantes ad Deum, diuinæque castè, ac syncerè colentes cerneret, sibi profuturos credebat. Arrianus autem, vt impius, & vecors, eò studebat, vt Imperatori barbariam Babyloniam persuaderet, qua crederet, sibi aduersarias, & nociuas orationes Sanctorum, & sic Sanctos funditus perderet. Est equidem vetustissima impiorum consuetudo, quod religio obsequia contraria, & ominosa esse persuadeant Regibus. Amos cap. 7. *Et dixit Amasias de Amos: Qui vides, gradere: fuge in terram Iuda, & comede ibi panem, & ibi prophesabis: & in Bethel non adicies vltra vt prophetas: quia sanctificatio Regis, & domus regni est.* Expende, cur propheta vetetur Amos in Bethel; nimirum, quia sanctificatio Regis, & domus regni est. Hoc enim impij student, vt sancta omnia sua, non diuina, sed regalia ostendantur; nec ad Dei, sed ad Regis cultum pertinere, vt quod religiosum, & pium est illis contrarium, appareat ominosum, & contrarium Regi. Ad hæc dicebat in præfenti D. Hieronym. *Hoc quasi falsus Sacerdos loquitur, adulans regali fastigio, vt non dicat: Sanctificatio Dei nostri est, & domus idoli. Sed, sanctificatio Regis, & domus regni: hanc habentibus cunctis, qui falsos Deos colunt, consuetudinem, vt superbiam suam Regibus impudent: Solent enim dicere Hæretici: Imperator nobis communicat, & si quis eis resisterit, statim calumniantur. Ergo tu contra Imperatorem facis? Augusti mandata contempnis? Expende illud: Hanc habentibus cunctis, qui falsos Deos colunt, consuetudinem, &c. Quippe impiorum hominum, & Apostatarum omnium hæc est vetustissima consuetudo, & notissima, vt in Sanctis suis non diuina, sed regalia proponant, & resistentes illis accusent crimine prodicionis, vel eò solùm, quod ad Deum orent, vel secum habeant orationis notas. Heu, bone Iesu, quam sæpè, teste Cyrillo in Amos, repetunt neoterici impij aduersus affectas tuos illas voces, Ioan. 9. *Si hunc dimittis, non es amicus Cesaris.* Vt reddant suspectos Regibus, quoscuque viderint syncerè, & piè Iesum sequentes.*

§. XVIII.

*Apud mortales miseros plus solet valere, quod ex Regibus, quam quod ex Deo habent.*

Notabam despectum, & prauum Doëg affectum erga Dauidem illis verbis: *Vidi filium Isai in Nobe, &c.* Non Dauidem nominat, sed contumeliosè ait, *filium Isai,* Regi Sauli morem gerens in Dauid despiciendo, vt notat Carthuf. Sed quem fateris honorificè acceptum ab Achimelech, Summo Sacerdote; & pro quo consultum fuisse; cur non magis eum vereris, vt honores? Cur audes despiciere, & discrimini obicere, pro quo vides & religionem stare, & Summum Sacerdotem, & Deum? Præfixerat Textus de Doëg: *Qui assistebat, & erat primus de*

*ministris Saulis.* Et quid aliud sperari possit à primo ministro Regis, quam quod vniuersam religionem, & Deum, & iustitiam eius postponeret Regi? Sanè validissimum est, quidquid in miseros mortales, splendoris, aut dignitatis venit à Regibus, vt illos faciat vel Deum contemnere, vbi studium ostendendum est pro Rege. Præses Ierosolymitanus Pilatus, cum audiuit de Iesu, quod Filius Dei prædicaretur, ait Ioan. 19. *quod magis timuit: verebatur enim Filium Dei, & pro illo defendendo pugnabat.* Quod notantes Iudæi clamant: *Si hunc dimittis, non es amicus Cesaris.* quo audito, statim Iesum tradidit Iudæis. Et cur qui vocem Filij Dei verebatur, ad vocem Cesaris statim Iesum perdidit? Erat primus minister Cesaris Ierosolymis, & quæ in illo dignitas erat ex Cesare, sic præualuit, vt vel Deum contemneret. Ait D. August. tract. 116. in Ioannem: *Vb dixerunt: Nos legem habemus, & secundum hanc legem debet mori, quin Filium Dei se fecit. eorum legem ille non timuit, vt occideret; sed magis timuit Filium Dei, ne occideret. Nunc verò non sic potuit contemnere Casarem, authorem potestatis sue. Potestas, & dignitas à Cesare in hominem profecta, sic illum affecit, vt minimè vellet Casarem postponere Deo.* Et qui Deum antè verebatur, postquam iu discrimine vidit gratiam Cesaris, non dubitauit tradere Deum crucifigendum. Nemo ignorat stultissimam superbiam Regis Babylonis, quando in statua aurea adorari à populo decreuit. Sed illud sæpè mirabar, quod ad eò nequam facinus peragendum congregaret in primis vniuersos potentatus sui regni. Ait enim Daniel cap. 3. *Itaque Nabuchodonosor Rex misit ad congregandos Satrapas, Magistratus, & Iudices, duces, & tyrannos, & præfectos, omnesque Principes regionum, vt conuenirent ad dedicationem statua, &c.* Et quando tam impium opus, & tyrannicum aggrediebatur instigante Diabolo, mirabar, quod Diabolus non magis caueret tot Iudices, & Magistratus, & Satrapas, & Principes congregari, qui possent congregati, & adunati Regem de tam nefariis ausibus admonere. Nonne timeri posset, quod tanta virtutum illustrium cõgregatio posset obsistere Regi? Vt omnes ij dignitates suas, & Magistratus Regi debebant acceptas; sic de illis non dubitabat Diabolus, quod in qualibet impietate subscriberent Regi. Ait D. Chrysof. hom. 4. ad pop. *Non enim de subditis dubitabat Diabolus; sed potius multum confidebat, quod nullus Regis legi se obiecturus erat.* Quotquot videbat Diabolus Iudices, Duces, Magistratus, Satrapas, regnorum Principes constitutos à Rege; tot sine dubio censebat consensuros impiissimis edictis Regis. Quid aliud speraret de eis, qui potestatum suarum authorem agnoscent Regem? Et quidem de iis omnibus Magistratibus solùm tres Hebræi inuenti sunt, qui vitam, & dignitates postponerent religioni. Quos videns Nabuchodonosor inter flammas liberos, ait Daniel. 3. *Benedictus Deus eorum, Sidrach, videlicet, Misach, & Abdanago, qui misit Angelum suum, & eruit seruos suos, qui crediderunt in eum, & verbum Regis immutauerunt, & tradiderunt corpora sua, ne seruirent, & ne adorarent omnem Deum, excepto Deo suo.* Circa quæ ait Theodor. *Deum laudat, & viros admiratur, quod Regis verbum immutauerunt, & iniqua visa piam mortem anteposuerunt.* Admirandum erit, si quis Magistratus Regis verbum postponat Deo. Hinc notabat Luc. cap. 23. *Ecce vir nomine Ioseph, erat Decurio: hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus Iesu, &c.* Non enim otiosè ponitur, quod esset Decurio; sed ad magnam eius laudem, quod non magis suæ dignitati prospiceret, quam honori diuino: ait enim Theophyl. ibi: *Ioseph, qui tamen est primò latuerit; tamen laude dignam rem nunc facit, quanuis Consiliarius esset, ac diues, & audeat petere corpus hominis crucifixi, quasi perduellus, & seditiosus, nullumque periculum suspicatur, licet periculum esset diuitiarum.* Expende illa: *Licet Consiliarius esset, ac diues, quippe rarò sperari debet à Consiliario Principis, quo non magis consulat dignitati suæ temporali, quam æternæ salutis.*

§. XIX.

*Fideles Principes, si à Deo exorbitent, nocentiores solent esse tyrannis ethnicis in Dei seruos.*

Ad simplex Doëgi verbum, quo suspectum reddidit Sacerdotem Summum Sauli, eò quod cibum, & ar-

Dan. 6. 13.

Athanas.

Amos 7.

Hieron.

Cyr. Alex. Ioan. 19.

Carthuf.

Ioan. 19.

August.

Daniel. 3.

Chrysof.

Daniel. 3.

Theodor.

Theophyl.

ma

ma Dauidi dederit? Saül Sacerdotes omnes ad iudicium vocat, & perimit: ait nanque Textus: *Misit ergo Rex ad accersendum Achimelech, Sacerdotem, filium Achisob; & omnem domum patris eius, &c.* Nulla intercessit mora: sed, vt Doëg locutus est contra Sacerdotem, Sacerdotem vocat Saül, & illum cum omnibus suis interfecit. Ecce tibi, quæ vix apparent in tyrannis ethnicis, reperuntur in Principe fideli. Nec miror: si enim fideles Principes exorbitent à Deo, crudeliores inueniuntur ethnicis. Amos c. 7. *Misit Amasias Sacerdos Bethel ad Ieroboam Regem Israël dicens: Rebellauit contra te Amos in medio domus Israël: non potes vis terra sustinere uniuersos sermone eius. Hac enim dicit Amos: In gladio morietur Ieroboam, & Israël captiuus migrabit de terra sua.* Sic accusabatur apud idololatram Regem Propheeta, quòd rebellaret, quòd mortem Regi minaretur in concionibus, in popularibus conuentibus. Quid tuac Rex idololatra: Vocatne hominem, vinculis tradit, percutit, aut exulare cogit? Nihil horum præstitit; sed neque verbum locutus est. Quod miratus D. Hieron. ibi ait: *Consideremus, quòd multi Reges Christiani, qui persecuti sunt Ecclesiam Dei, & Arianam impietatem in toto orbe fundare conati sunt, vincant in scelere Ieroboam Regem Israël. Ille enim falsi Sacerdotis mandata despectis, nec ad suggestionem eius, quicquam voluit respondere. Isti autem cum multis Sacerdotibus suis, fame, penuria, carceribus, & exiliis Prophetam, & Sacerdotes Domini necauerunt.* Picqueritur Sanctus Doctor, quòd tyranni ethnici vincant in regnandi pia ratione Christianos Principes; quando de illis inuenitur Ieroboam, qui obsurdescat ad voces suorum accusantium prodicionis Dei Prophetes; de his vix inuenitur, qui non desauat in Dei præcones, vel ad vmbra excessus. Hinc Jonas cap. 3. ingressus Ninuen non veretur clamare apud Regem, eius ciuitatis destructionem: ait enim: *Ahuc quadraginta dies sunt, & Ninue subuertetur: Et peruenit verbum ad Regem Ninive.* Et mirabar, quòd Ionas non magis caperet Regem ethnicum: in principio enim fugiebat prædicationem illam, veritus misericordem Deum, ne flecteretur ad veniam: at à Rege Ninue nihil sibi timebat. Et cur non magis timet barbarum Regem in prædicatione regni perdendi? Ierem. 32. dicit: *Tunc exercitus Regis Babylonis obsidebat Ierusalem: & Ieremias Propheta erat clausus in atrio carceris, qui erat in domo Regis Iuda: clauserat enim eum Sedecias Rex Iuda dicens: Quare vaticinaris dicens: Hac dicit Dominus: Ecce ego dabo ciuitatem istam in manu Regis Babylonis, &c.* Rex erat Sedecias fidelis Ierolymis apud Dei templum enutritus; & tamen Ieremiam vinculis opprimit, ob denunciata regni vastationem. Quando ergo apud fideles Reges tam malè habebant Dei præcones? cur Ionas non veretur denunciare excidium regni, & barbaro, & ethnico Regi? Ait D. Ephrem in Ion. *Idoneum experimentum Ionas accepit à gentibus; quia Moysen suscepit Rex idolorum.* Et quidem Rex erat cum Rege ethnico, & barbaro, apud quales non adeò malè acceptos nouerat Ionas Dei præcones: Moyses enim Pharaoni multa mala prædixit; & diues, & felix euasit ex aula. Daniel exitium regni Balthazari proposuit, & accepit in præmio auream torquem.

§ XX.

*Delationes sine probationibus apud solos impios Principes præualent.*

**A**D verbum Doëg iratus Saül, statim Sacerdotes occidendos accersit: ait enim Textus: *Misit ergo Rex ad accersendum Achimelech, &c.* Sic calumniantis verbis credidit Saül, vt nulla expectata rei reprobatione statim procedat ad vindictam sumendam de Dei Sacerdotibus. Ex quo sapienter satis D. Athanasius monebat Constantium Imperatorem in sua apud illum Apolog. *Quales calumniatores sunt, tales etiam suos auditores estimant, persuadentque sibi calumnias apud te plurimum valituras. Exemplo à Doëg mutato, cuius insidia contra Sacerdotes plurimum valere; sed auditor ibi Saül ille iniustus fuit. Ecce tibi quando minimè probatæ calumniæ possunt præualere; nimirum, quando iniquus, & iniustus auditor est: quippe ait Text. Sed auditor ibi Saül ille iniustus est. Apud iniustum & impium Regem solùm calumniæ præualent. Sic etiam 3. Reg. 21. Iezabel contra iustum Naboth scribebat: Subm-*

*cant, &c. Et, quod magis est, audito hoc testimonio Naboth occiditur. Miraris, quod sic falsitas præualeat? Sed accipe D. Athanasium in eadem Apolog. fantem: Iezabelis quoque calumnia noxam religiosissimo Naboth intulerunt: verum, & illi Achab ille malus, & prauaricator autem prauis: contra sanctissimus ille Dauid, cuius & te imitatorum pro omnium votis decet, istiusmodi homines ad se nequaquam admittit; sed ut rabiosos canes auersatur dicens: Detrahentem clanculum proximo suo, persequer. Seruabat enim præceptum hoc: Non accipies rumorem vanum. Sic boni Principes oderunt sermones non probatos aduersus proximos; qui sermones apud solos iniquos Principes valent.*

1. Reg. 22. Noluerunt serui Regis extendere manum in Sacerdotes Domini. Et ait Rex ad Doëg: Conuertere tu: & irruere in Sacerdotes. Conuersusque Doëg Idumæus irruit in Sacerdotes, & trucidauit in die illa octoginta viros vestitos ephod lineo, &c.

§ XXI.

*Qui Deum cœperint terrenis postponere, agrè, & difficulter non persistent in eo.*

**E**Tot ministris Saülis præsentibus vnus Doëg Idumæus inuentus est, qui auderet aduersus Sacerdotes stare, illisque mortem inferre. Dicit Textus: *Noluerunt serui Regis, &c. Conuersusque Doëg Idumæus irruit in Sacerdotes, & trucidauit, &c.* Et quando tot aulici, & Palatini nefarium opus decretant, cur vnus Doëg illud aggreditur? Cur non magis veretur facinus, quod cæteri omnes refugiebant? Cœperat iam semel iste, & Sacerdotes, & diuina oracula infamare, & suspecta reddere Regi, dum malitiosè testificabatur supra, Deum pro Dauidè consultum, donatumque Dauidem pane, & armis ab Achimelech. Vnde non miror, quòd non desistat; sed magis omnia facinora voret, vsque dum in extremam perditionem eat. Ait D. August. Psalm. 51. *Nemo ausus est hominum Regis Saul, nec iubente Rege misere manum in Sacerdotes Domini; sed ille, qui prodiderat, sicut Iudas, qui à proposito suo non recessit, & vsque in finem perseueravit de illa radice fructus ferre, quales fert arbor mala.* Expende illud: *De illa radice fructus, &c.* Vna, eademque radix facinorum in Doëg, & in Iuda fuit: vterque Summum Sacerdotè prodidit; ille Achimelechum; hic Iesum: vterque prodicione sua Principum venabatur, ille gratiam Saülis; hic gratiam Principum Phariseorum: vterque Deum postponebat terrenis commodis. De hac igitur radice nunquam non fructus decerpent: quæcunque facinora inde nascantur, illi peragent, & vsque in finem perseuerabunt vorantes crimina, & criminum rapientes mercedem. Huc spectat etiam titulus Psalm. 51. aiens: *In finem intellectus Dauid, cum venit Doëg Idumæus, & nunciauit Saül: Venit Dauid in domum Achimelech.* Circa quæ mihi expendenda venit coniunctio illa, nempe: *In finem, cum venit Doëg Idumæus, & nunciauit Saül, &c.* Quid, quòd Doëg venerit, & nunciauerit Saül, cum particula illa, *in finem*? Doëg Idumæus idem est, ac motus terrenus. Ex quo D. August. sapienter colligit, quam semper, & vsque in finem idem erit in cælestibus abiiciendis, vt sese submergat terrenis: ait enim ibi: *Quid expectatis de homine terreno aliquos fructus cælestes? Homo erit in æternum. Nunquam cælestia sapiet, nunquam non contemnet cælestia, qui terrena simul cœperit anteponeere Deo. Nihil suprahumum admittet; & dum terrena mandat, nullum non vorabit facinus in æternum. Sic in talibus illa prima peccati radix nescit arefcere: sed in dies novos malitiæ fructus profert.*

\*\*\*

Amos 7.

Hieron.

Jonas 3.

Ierem. 32.

Ephrem.

Athanas.

3. Reg. 21.

Athan.

August.

Psalm. 51.

August.

§. XXII.

Nequitia timida, crudelissima est.

**Q**uis à Rege fideli tam atrox facinus metueret, vt tot Sacerdotes innocentes interficeret, ciuitatè que perderet: Trucidauit, ait Textus, illa die octoginta viros vestitos ephod, &c. Crediderim, nusquam tam immane facinus visum: homines pacifici, Deo facti, in ipso Regis palatio, euidentem accusationis excusationem præferentes barbarissimè trucidantur: Vnde tanta crudelitas ortum habuit? Iosephus putat, tunc Regem correptum fuisse ingenti metu, de Dauidè cum armatis hominibus, in terra Iuda apparente; & tandem ait: Excusationi Saülus fidem habere noluit, quòd plus apud eum metus periculi valeret, quàm excusatio, quànvis iusta. Itaque circumdatum armatis cum tota familia iubet contrucidari. Nec miror, quòd homo metu correptus in tam insolitam crudelitatem deueniat. Crede mihi, nunquam non parit metus crudelissimos effectus, vt à nullo magis cauere debeas, quàm ab inimico metuente. Herodes ille, vbi audiuit natum Regem Iudæorum, ad illumque adorandum, stella duce, Reges Orientis venisse Matth. 2. Turbasus est. Quid tunc? Iratus occidit multos pueros, &c. Non multò inferior fuit hæc Herodis crudelitas crudelitati Saülis: sed & etiam Herodis crudelitas à timiditate hominis venit. Ait D. August. tract. 115. in Ioann. Herodes ille maior, cum Christus natus nunciaretur, exauis, & tot infantes, vt ad eum mors perueniret, occidit, timendo magis, quàm irascendo crudelior. Non sic iracundia, vt timor, fecit hominem crudelem, & efferatum, vt innocentem puerorum effunderet sanguinem. Quippe sapienter ait: Timendo magis, quàm irascendo crudelior. Est equidem crudelior timidus, quàm iracundus. Quòd spectans Sapiens cap. 17. ait: Cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis. seu, vt in rem præsentem legit D. Bonauent. cum aliis: Data est in omnium condemnationem. Quid enim à timido speretur, nisi perditio omnium, & condemnatio? Cui accinit Sidon. Apoll. in paneg. Auiti aien:

Ioseph.

Matth. 2.

August.

Sap. 17.

Bonauent.

Sid. Apol.

Nihil est grauius, si forsitan vnquam Vindere contingat, trepido.

Nescit enim trepidus, & timidus parcere; sed omnes perditum ire amat.

**1. Reg. 22.** Euadens autem vnus filius Achimelech, filij Achitob, cuius nomen erat Abiathar, fugit ad Dauid, & annunciauit ei, quòd occidisset Saül Sacerdotes Domini. Et ait Dauid ad Abiathar: Sciebam in die illa, quòd cum ibi esset Doëg Idumæus, proculdubio annunciarer Saüli. Ego sum reus omnium animarum domus patris tui. Mane mecum: ne timeas. Si quis quæsierit animam meam, quæret & tuam: mecumque seruaberis.

§. XXIII.

Iustorum consortium asylum firmissimum est. Vbi de Iesu consortio.

**S**apienter Abiathar in tanto Sacerdotum discrimine, in quo tota Heli posteritas, iuxta verbum Domini, perdeda erat, confugit ad Dauidem, à quo audit illud: Mane mecum: ne timeas. Si quis quæsierit animam meam, quæret & animam tuam, mecumque seruaberis. Et quis non seruaretur in consortio tanti iusti? Planè, qui iustis viris adiungitur, asylum habet firmissimum salutis suæ. Actor. 27. dum cum Ethnicis & infidelibus nauigat Paulus, ingenti tempestate nauis impellitur, ad eò vt penè vniuersi desperarent vitam. Quid tunc? ait Paulus locus: Nunc suadeo vobis bono animo esse: amisso enim nullius animæ erit ex vobis; præter quæ vanis. Adstitit enim mihi hac nocte Angelus Dei, cuius sum ego, & cui de seruo, dicens: Ne timeas, Paulè: Casari te oportet assistere: & ecce donauit tibi Deus omnes, qui nauigant tecum.

Act. 27.

Huc spectans D. Paulinus epist. 42. de Martiniani naufragio dicit:

Vixerunt iuncti Christiani impij  
Vincite noctem lumine,  
Nam Christianos aggregare mortuis,  
Virtute cassa mors fuit.

Paulin.

Equidem qui se pijs adiungit, piorum participat præsidium; nec tantum illi nocent mala propria, vt profunt iustorum virtutes in salutem. Aiebat Psal. 65. Et locutum est os meum in tribulatione mea. Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arictum: offeram tibi boues cum hircis. Circa quæ notanda sunt illa verba: Boues cum hircis. Nimirum, quòd hirci numerentur inter Dei sacra. Nonne hirci à sionistis Dei ponuntur Matth. 25. expositi maledictioni diuinæ, & in æternum arsurus? Qui ergo maledicendi sunt, cur Deo sistuntur, vt grati illi fiant? Planè hirci maledicendi sunt, postquam ab ouibus, & agnis separati sunt: at vbi adiuncti sunt sacris aliis animalibus, de horum consortio etiam abeunt in vitam. Ait ibi D. August. Adiuñtione ipsa saluabantur hirci, per se non possunt accipi, adiuncti bobus accipiuntur. Deus bone! si hirci per se separentur, absque dubio in perditionem ibunt; verum, si factis aliis animalibus iungantur, adiunctione ipsa salui fiunt! Vt discas, quàm tibi fructuosum erit, si adiungaris iustis viris. Quòd si iustus ille sit noster verus Dauid, seu Dauidis filius Iesus; planè ex eius adiunctione firmissimum habebis salutis asylum. Adducebatur quondam à Principibus Ierosolymitanis mulier adultera ad Iesum; apud quem illam vehementissimè accusabant, Ioan. 8. illis autem dicebat Iesus: Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. Et iterum se inclinans scribebat in terra: audientes autem vnus post vnus exhibant, incipientes à senioribus, & remansit solus Iesus, & mulier, &c. Dum Iesus in terra scribit, abeundi copiam præsentibus faciebat: qua accepta accusatores recesserunt; rea autem cum Iesu perseuerabat. Et cur non magis occasione abeundi oblata mulier illa recedit? Cur inclinato Iesu ad terram, vt scriberet, dum accusatores recedunt, similiter accusata scemina non recedit? Sanè scribebantur in terra, qui à Iesu recedebant: quæ apud illum perseuerabat, non poterat ad salutem non pertinere. Ad hæc D. August. lib. 1. contra aduersarios leg. & Prophet. cap. 20. fatur: Quis enim cogitat, quomodo ad memoriam Dei scribantur in calu sequentes Dominum: derelinquentes autem Dominum scribantur in terra, de quibus Prophetia Ieremias dicit: Vniuersi, qui derelinquunt te, confundantur, recedentes à te in terra scribantur. Quos benè intelligitur significasse Iesus, quando Iudæi vultu, atque confusi, cum audissent: Qui sine peccato est, prior in illam lapidem iaciat. vnus post alterum recesserunt. Tunc autem ille ostendens, de quo numero essent, digito scribebat in terra. Simol recedebant à Iesu, & in terra scribebantur: vt ostenderentur ad perituros pertinere. Felix ille, qui Iesu adhæret, illique sese maximè adiungit; inde enim, non ad ruinam; sed ad vitam tendit: cum Iesu enim nihil habes non salutare, non lætum. Ideò Dauid Psal. 50. clamabat: Redde mihi lætitiã salutaris tui. Circa quæ ait D. August. hom. 3. in Assumpt. Mariæ: Et hinc attentius intueri, quam exultationem quarit. Quod enim Hebraicè Iesu, hoc Latine salutaris dicitur. Quæ enim lætitiã est Iesu, nisi contemplatio eius, qualis venturus est in gloria sua? Sola contemplatio venturi ad nos Iesu potens est, & nos in salute firmare, & inenarrabili implere lætitiã.

Psalm. 65.

Matth. 25.

August.

Ioan. 8.

August.

Psalm. 50. August.



CAPVT IX.

Dauid in Ceilam.

Textus Historia.

**I**N TERE A recruduit Philistinorum odium in Israelitas, & haud ignobilis vrbs, Ceilam nomine, prima cœpit sentire hostiles imperus; quibus maturæ ægrorum fruges perdebantur, & res erat in maximo discrimine. Traxit Dauidem calamitas contribulium: & vt erat fratrum amator; sic pro Ceilanis, annuente Deo, stat in acie, acerrimè pugnat, confraçtòsque hostes vertit in satis indecoram fugam. Aliquantulum respira-

rabar  
te victo  
tus de vic  
eaim iam  
mos Ceilan  
iniquus sed  
di, & com  
de, inde cum  
Nulli tam  
co Ziph, in  
sus ibi erat  
peruulgat  
iam venient  
Hæc Ionath  
Sullem moen  
limitibus. Ad  
gatorum, di  
gis miles, Da  
eo delecta, vt  
te accurren  
nec pericul  
nem populab  
thoropo in  
volueret. Qu  
mens depic

MOR

104. Ec  
us: Ecce  
& diripi  
Dominu  
tiam Phi  
Dauid:  
Ceilan  
cum Dau

Er

A vdi vt n  
A hostiliu  
dicentes: Ec  
Quæ verb  
cum de are  
pore, quo ap  
tur, & eorum  
ror, quod vbi  
riæ Israelita  
ditio frugum  
illa Terull. li  
quod nulla ciuit  
fuit & sub Hil  
strum acclama  
Polchrè Iudie  
area locus, in q  
tur area locus  
Gentiles Sancti  
sibi areas frum  
ditur reuerentia  
si mercedem super  
non Deum, sed m  
Area, & terrula  
diuinorum, fact